

BAVARIAE DVCATVS.

etiam ac spatiosos habet lacus, singulis singula sibi pisciū genera, & tanquā priuatas formas custodiētibus: cuiusmodi sunt Ammersee, Asee, Vvirmsee, Tegerusee, Schliersee, Stābsee, Chiemsee, Vveitsee, Rorsee, Dumbsee, Tahensee, Abtsee, Mattsee, Vvalersee, Maensee, Attersee, Abersee, Hintersee, & nōnulli alij lacus stagnaque. Mōtibus cū hinc inde tumuletur, singulorum nomina hīc recensere vix datur. Præcipui tamen sunt qua in Meridiem vergit Pœninæ Alpes & Caruancas mons. Syluis penè infinitis ita spargitur, vt vna videri queat, vti reuera est. Hercyniæ enim omnes hæ portiones sunt, ac totum propemodum eam olim hunc tractum contexisse vix dubium est: rei que fidem facit, vel illud ipsum, quod de Aichstadio fertur, excidisse nimirū eo loco nemus seu quercetum Diuum Bonifacium, ac monasterium eo loco condidisse Benedictinorum. Confluente autem vndique ad illud magna hominum, tum secularium, tum spiritualium frequentia, tanta sumpsisse incrementa, vt in urbem excreuerit, cui ex re nomen relictum sit Aichstadium. *Nisch* enim germanis quercum significat. Verum diuersa hæ eiusdem syluæ portiones sortita sunt nomina, cuiusmodi sunt, Heinerlochiam, Schvartzvvaldt, Grienvvaldt, Zellervvaldt, Ebersperger vorst, Aufdem, Eselvvaldt, Vvelhardt, Hoehardt syluæ, Veilenvorst, Durapuech, VVrunsono sylua, Amhardt, Langvvaldt, Stanfervorst, Vveissenburger vvaldt, Hanemikamp, Keschinger vorst, &c. Minæris minimè caret hæc prouincia, cum Nariscorū ora ad Vilsam annè Norico, Gastyno, Bints gouia, Rhetia, via ad Prentium annem, & in Hercynia sylua, & ferrarias, & officinas faberrimis fabris instructas, & mille armorū genera toti Europæ præsent. Mons Silberberg inter Pierbachium & Regnesum fluuios, item Durnperg iuxta Saltzain flu. metallorum ditissimi sunt: in montanis iuxta Schvartz oppidum inexhaustæ æris fodinæ sunt. Vitrearias etiam celeberrimas officinas in hac prouincia reperias, prope

Reichenbergum, Maisriet, Schonauv, ad Salgvvasserum flu. Vitra omnis generis conficiuntur: nec procul inde specularias officinas, quibus specula quoq; vitrea fiunt, conspiciere est. Nec thermis destituitur, iuxta Danubium visuntur Peisingensses, prope Abacum, Goeckingienses prope Neustadium, iuxta Loyſam flu. Hæilprumienses: In Vindelicia non procul à Par flu. fluentis. Doetterrienses in hercynio saltu, Kreitenſes. Conterminos habent Bauari ad boream quidem Francos, ad Occasum Sueuos, ad Meridiem Alpes Italias, ad Ortū Austrios & Boëmos. Initium sumit ab Occidente sub gradibus longit. 31. & 36. minutis, qui est Meridianus Augustæ Vindelicorum secundum Philippum Appianum. Petrus Appianus eius pater cum reliquis faciunt 28. grad. & 31. minutarum longitud. desunt in Oriente iuxta Saltzæ & Danubij confluentes, vbi est Patauium vrbs, cuius longit. Philippus Appianus facit grad. 34. & 13. minut. longit. eius pater & reliqui 31. & 33. minut. longitudinis. Latitudinis initium facit prope Abudiacum, vulgò *Fieß*, eam Philip. Appianus facit grad. 47. & 32. minut. cui astipulatur Leouitius. Reliqui faciunt 45. & 25. minut. latitudinē, desinitq; in Septentrione iuxta Chamb oppidum, sub gradibus latitudinis 49. min. 10. secundum Appianum, cuius calculo & obseruationibus recentioribus, credimus, eum etiam Leouitio approbante. Sita est ergo prouincia sub initio 8. climatis, quod dicitur per Borysthenis ostia, vsque ad medium eiusdem, qui est parallelus per Mœotim. Ita vt Australis eius parallelus sit 16. vbi dies prolixior horarū est 15. & $\frac{3}{4}$. Borealis autem 18. vbi dies nimirum prolixior horarum 16 $\frac{1}{4}$. Quam mensuram si ad milliaria referas, reperias prouinciam longam esse milliariibus Germanicis quidem 25. Italicis verò 100.

latam autem Germanicis 24 $\frac{1}{2}$.

Italicis 98.

VIRTEMBERGENSIS DUCATUS ET PALATINATUS SUPERIOR.


Nortgouia iuxta Germanicam Etymologiam significat Septentrionalem plagam, aut terram. *Nordt* enim Germanis Aquilonem, *Geu* terram & agrum significat. Sunt tamen qui Nordgouiorum vocabulū malint à Nariscis deducere: nam tractum Nortgouiorum vltra Danubium, Boream versus, in Bohemicam, hoc est, Hercyniam syluam excurrentem, in veteri Germania Narisci tenuerunt. Et quibusdam etiam placet, Narca pro Nordtgen scribere. Hæc regio hodie etiam Palatinatus superior (ad differentiam eius qui ad Rhenum est Palatinatus) appellatur. Est quoque Boioarię portio trans Danubianę, cuius princeps est è Boioariorum ducum familia, vulgò *Pfaltzgrafinc*, id est, palatij Imperialis præfectus dicitur. Includit quoque hæc regio Nordgouiesis vnum ex quatuor comitatibus prouincialibus, vulgò *Landtgrauionatum* vocant, qui olim ab Imperatoribus fuerunt instituti, nempe Luchtenbergensem, accepitque denominationē istam ab arce *Liechtenberg*, cuius situm in hac tabula haud procul à Nabi fluuij ripa conspiciere licet. Complectitur & Noricum Burggrauiatum. Verum hi ad Palatinatum non referendi sunt. Norica tamen vrbs cum in hoc tractu, tum totius Germaniæ maxima, amplissima, ac nobilissima, ad Pegnitium amnem sita, qui vrbs interluit, multis pontibus lapideis, duas vrbs partes coniungentibus. Eius ager sterilis, & arenosus, atque ob eā rem indutrio gaudet populo. Omnes enim plebei homines sunt, opifices ingeniosissimi, aut plerunque negotiatores prudentissimi, repertores & magistri subtilium operum, quæ hominibus non parum conducunt. Vrbs est munitissima, altis scilicet mœnibus, antemurali ingenti fossa, infinitis turribus & propugnaculis. Numerantur in ea 528. plateæ & vici, 116. putei aquarum, duodecim fontes ex truncis aquam euomentes: sex magnæ portæ, vndecim pontes lapidei, tredecim communia balnea, cingiturque ciuitas duplici muro, in quibus sunt 183. turres, præter fortalitia & propugnacula. Hercynia sylua occupauit olim fundum Norimbergensis ciuitatis, sed temporum successu pro magna parte excisa est, circum vrbs tamen nullo non tempore eius virent reliquæ. Reliquæ in hoc tractu sitæ vrbes & oppida sunt, Ambergum, Anwerbachum, Sultzbachum, Castel monasterium, vbi principes Nortgoiæ olim suam habuerunt curiam, Kemnat, Egra, Neostadium, Ruuenkoluium, Beierutum, Krusenium, Greuenwerdum, Eschenpachium, Vveidena, Pernauium, Pleistenium, Hersprugum, Rurbachum, Eichstadium, à succiso ibidem querceto sic dictum, Ingolstadtum celebri academia nobile, Neumarcht, Turfenrutum, Elbogium, Chamum, Napurgum, Kalmuntium, ac multa alia, quæ pleraque Palatinatui accensentur. Regionis huius aër vtcunque gratus, salutarisque est: terra autem satis dura & aspera, licet quibusdam locis satis proferat frumenti, abundeque pascua pro pecorum saginatione. Iuxta Kelheimium Danubij ripa vitifera est. Verum vinum ignobile est & austerum, vt vulgò dici solet, acetum in illis montibus crescere. Regionem perla-

bunt Aegra, Nabus, Vilfus, Regus, Pegnitza, Schwartzach, Sultza, Altimulus, Laberus, Lautra fluuij: ac præter hos nonnulli alij riuuli. De Rediantia seu Regnitio regouie amne referunt historiæ commoranti Carolo Magno apud Ratisponam persuasum fuisse, fore vt ex Rheno in Danubiū nauigari possit, si intra Radiantiam & Altimulam fluuios fossa duceretur, quæ esset capax nauigiorum: quod horum fluuiorum, alter Danubio, alter Rheno misceretur. Confestim rex ad locum opportunum accelerat, ac magna hominū multitudine congregata, totum Autumni tempus in hac consumpsit, ducta est itaque fossa inter prædictos fluuios, duūm millium passuum longitudine, trecentorum pedum latitudine: sed res successu caruit, nam propter iuges pluuias, & terram naturā palustrem, opus stare non potuit: quantum enim interdiu egestum fuerat, tantum noctu humo relabente subsidebat. Apud Vveissenburgensem oppidū extant etiamnum vestigia vani laboris. Huius oræ Nariscorum Pinifer mons est inter Bambergensem & Noricā vrbes, ad Ortū situs: ex eo quatuor insignes profluunt amnes. Menus, Nabus, Sala, & Egra, ij in crucis modum diuicari, quatuor mundi cardines petunt. Complectitur autē mons iste in circuitu suo circiter sex milliaria, & extrudit varias metalli species, gignit & optimum cæruleum colorem, quem vulgò *Lazurum* vocant. Inuenitur quoque in summitate montis stagnum seu lacus, & multæ foueæ, ex quibus olim metalla fuerunt eruta: tota enim illa terra minæris turget, potissimum autem ferro. Vnde Nortgoienses annuatim ingentem questum faciunt. Nec illud hoc loco prætereundum censeo, omnes ferè Nariscorum fluuios fabricis ferri & reliquorum metallorū onustos & impeditos esse: vtpote quorum fluentia agunt & impellunt, tam folles ingentes, quàm immensos malleos fabris ferrum tantum suppositis incudibus admouentibus. Nariscorū præterea amnes margaritas etiam ferre fama est. Syluis etiā hæc ora vndique conspersa est, maximè qua Bohemiæ vicina est, ex Hercyniæ portiones sunt. A Septentrione Voilandiam vicinam habet, ab Ortū Bohemiam, à Meridie Danubio flu. à reliqua Bauaria separatur, ab Occasu Hanecampo, Sueuiæ parte, ac Franconiæ parte terminatur. Incipit ab Occidente sub longit. grad. 31. 31. minut. vbi Danowerta ciuitas est, ac Orientem versus portigitur, sub longitudinem 33. grad. 25. minut. vbi Vvinterbergum oppidum ponitur. A Meridie verò initium sumit sub latitudine 48. grad. 39. minut. quæ est latitudo Danowertensis, ac Septentrionem versus excurrit, vsque ad latitudo 49. grad. 50. minut. vbi Egra vrbs sita est. Subiacet itaque à principio 8. climatis, quod est per Boysthenis ostia, vsque ad medium ferè eiusdem, ita vt parallelus transiens per eam sit 17. diesque eius artificialis prolixior horarum 16. & paulò vltra. Longa ergo est regio ab Occasu in Ortum, mil. Germa. 18 $\frac{1}{2}$. seu Italic. 75. lata autem ex Austro in Boream milliariorum Germanicorum 22. seu Italicorum 132.


V

Vir-

WIRTEMBERGENSE
NSIS DVCATVS ELEGANS DE
LINEATIO. AVTORE GEORGIO GARNER.



PALATINATVS SUPERIORIS SEV BAVARIAE
VERA DESCRIPTIO. AVTORE ERHARDO REYCH.



VVIRTEMBERGENSIS DVC.

Virtembergensis ducatus nomē sibi vendicat à cognomine arce, in eius ferè meditullio sita, in edito colle, haud ita procul ab Esslingensi vrbe Imperiali. Verùm Aegidius Tschudus ab Intuergis populis, quos hīc aliquando habitasse refert, verisimili coniectura nomen hoc deducit. Beatus Rhenanus Vithungos ait hāc olim loca tenuisse lib. 1. rerum Germanicarū. Nam (inquit) Vithungi Alemannorū pars, quos possibile est Wirtembergensi ditioni nomen dedisse, ab illis profectos, qui Trebellio Pollioni Virtingi dicuntur, Italiae minantes miserè rhetias deuastabant. Et mox addit. Sub Valenti mo tertio Vithungos rursū in rhetiam secundam, quae Vindelica prius dicta fuit, & in Noricum incurfasse constat. Quod coniecturā huic fidem fecit, fuisse eos populos Wirtembergenses est id, quod rhetios ad meridiem, Noricos autem ad Ortum ferè vicinos ipsi habeāt. Verū fieri potuit, quod omnes hi eadem loca tenuerint. Intuergi enim vox Wirtembergō haud dissimilis est, ac possibile est Virtingos Nirtingensis oppidi incolae fuisse. Vithungos autem Wendigēses fuisse eadem nominis allusio testari potest. Tecto-sages quoque huius regionis partem olim tenuisse aiunt. Eam gentem arbitratur Rhenanus Nicri ripam accoluisse, quo loco vetusta adhuc arx visitur, quae Decensibus postea ducibus nomen dedit. Ea *Teck* appellatur vulgò, quae prima Tectosagum est syllaba. Hāc autē regio, cum olim multas priuatas ditiones & comitatus haberet: utpote comitatus Calwensem, Thubingensem, Vracensem, Zabergoiensem, Kriechgoiensem, Helfensteinensem, Zollerensem, Achellensem, Nifensem, Herrenbergensem, Gruningensem, Veringensem, Aspergensem, quorum ferè omnium successio per mortem deleta est, quaedam venditae, aut belli iure aliò translatae, tandem eò ventum est, ut tot dominia in vnum comitatum Wirtembergensem confluerint, cum quibusdam ciuitatibus, quas post additionem Sueuici ducatus, comites sibi vsurparunt. Fuere in hac etiam regione, Ducatus Teckensis, Vrselingensis & Schiltachensis, quibus locis sui peculiare principes praefuere. Wirtembergensis autem comitatus, in ducatus fastigium euectus est. Cū anno 1495. Maximilianus rex conuentum Germaniae in Wormatiensi vrbe celebraret, in quo Eberhardum comitem Wirtembergensem solenni pompa Ducem creauit, tituloque Ducali, auctis armis in Wirtemberg & Teck propria manu insigniuit. Complectitur etiamnum multos comitatus hāc regio, Vilsensteinensem, Helfensteinensem, Boltringensem, ac complures alios, nobilium penè infinitas sedes. Diuiditur autem in pagos, valles, seu gomas. utpote Zabergouiam, Creychgouiam, Albam, Albuchum, Hertfeldum, vallem Kockeranam, Brentianam, Filtzianam, Nagoltanam, Rembsianam, &c. Regionis aer saluberrimus est. Ipse autem ducatus veluti circularem habet situm, complectiturque ciuitates & oppida plurima: multa munitissima castra, in editioribus collibus ac motibus sita, monasteria, villas, & vicos penè infinitos, praeter ciuitates Imperiales, Esslingam, Vvilam, Reutlingam, Giengenam. Praestantiores autem ducatus huius ciuitates sunt, Stutgardia & Tubinga: quarum hāc ad Nicium sita, vbi anno Christi 1477. ad instantiam comitis Eberhardi de Wirtemberg & Montis Beligardi, auctoritate Romani Pontificis, vniuersitas studij generalis est erecta. Illa quoque haud procul à Neccaro posita ducum sedes est. Habent enim intra huius oppidi moenia elegans ac regium planè castrum, sed in plano situm. Ager verò per circuitum ciuitatis fertilissimus est, consitus infinitis vineis, & vinum illius loci satis generosum ac celebre per totam Sueuiam. Reliqua oppida quoque amœna satis, ac pleraque arcibus ac castris munitissimis ornata sunt. Vracum ad Amerum flu. Nirtingū, Kirchna, Heilpruna, Lauffena, Pinigkheim, Aschpergus arx, Grie-

ninga, Martpachum, Canstadium, Vvaiblinga, Schorndorfium, Geppingum, Fiessen, Abudiacum olim, Heidenheimium, Vviltpergum, mihi natale solum, ad Nagoltam flu. Herrenbergum, Rotenburgum, Hechingum Iudaeorum asylum. Balingum ac complura alia, quorum nomina ac situm tabula hāc inspicienti suppeditabit. Ora hāc fertilissima, ita ut cum optima Germaniae parte certare queat, ac primas etiam obtinere: frumenti, leguminum, fructuum, nusquam vberior mēsis, vini ingens vindemia. Nicer enim flu. vbi que vitifer est, vnde vinum accolae Niceranum vocant. Pisculenti fluij sunt, inter quos facile primas tenet Prentius amnis, qui nunquam, etiam gelidissima hyeme congelatur. Ferinarum vberissima venatio, qua tamen vulgò interdictum est, principibus ac nobilibus id iuris sibi vindicantibus. Sunt tamen loca quaedam paulò rigidiora ac asperiora, utpote quae à glebae duritia Hertfeldia dicitur, vbi aquae quoque penuria laboratur. Alba ob agros saxi ac lapidibus cōsitos, nimium aspera est. Martiani etiam nemoris pars, sementē non nisi exusta prius gleba fouet. Nicer amnis mediam oram percurrit, & multis fluminibus acceptis, quorum praecipua sunt Nagolta, Entius, Remisus, Cocherus, Jagusta, Filtzius, in Rhenum properat. Brentius verò Danubio miscetur. Huius ducatus montes sunt Alpes, qui ab albedine sic dicti creduntur, albis enim silicibus ac lapillis longè perspiciuntur, ac saepius noua sibi vocabula inueniūt: utpote Schera, Albuchus, Hanencapus, Hertfeldius, Hercynia, ac Martiana sylua regionem pluribus locis, interrumpunt, ac suis nominibus discernuntur, ut Albuchius lucus, Stubental sylua, Nigra sylua, vulgò *der Schvartze vvaldt*, *Otenvvaldt* sylua, &c. Mineras quoque argenti hic ducatus habet, haud procul à Vviltpergo, ac dicitur Puelachium oppidum totum ferè a rifodinis superstructum. Ferri in Prentiana valle diuites minerae, vbi etiam officinae ferrariae. Prentio anni vicinae sunt, in Merckelstetten, quo loco ferrei fornaces conficiuntur, ac inde in multas distrahuntur regiones. Cupri etiam rubei iuxta Dornheimium minerae sunt. Verū illud quoque memoratu dignum arbitratus sum, colligi iuxta Puelachiensem argentifodinam lapillos quosdā elegantibus, ac varijs coloribus, ut plurimum tamen blauio distinctos. Ut videatur etiam natura molita esse eodem loco gemmas producere. Vitreae etiam officinae sunt, non procul à Murhartenfi cœnobio remotae. Thermarum praeterea in hoc tractu satis magnus numerus. Ferinae Thermae, vulgò *Vviltbadt*, eas venator aprum persequens reperisse fertur. Cellenses, ac fontium acidorum in Geppingen, prope Buelachiam, vulgò *Thonauvverbad*, prope Tubingam, vulgò *Steinacherbad*, iuxta Villingam, ac alijs pluribus locis. Terminatur autem à Septentrione Palatinatu inferiore, ab Ortu Norico & Vindelitia, à Meridie Rhetia, ab Occasu Badensi prouincia. Ab Occidente initium sumit sub longitudine grad. 30. minut. 10. vbi Hornperg oppidum. Extenditur in Orientem vsque ad grad. longit. 32. vbi Gengana imperialis vrbs. A Meridie sumit initium sub latitud. 48. grad. vbi Blauburnum oppidum, ac in Septentrionem porrigitur ad latitud. grad. 49. minut. 30. vbi Meckarul oppidum est. Subiacet itaque à fine 7. Climatis, quod est per fontes Istri, vsque ad medium ferè octauum, quod est, per mediam Mœotim, vnde Parallelus eius Australis est 16. vbi dies artificialis prolixior horarum 15 $\frac{3}{4}$. Borealis autem 18. vbi dies prolixior horarum est 16 $\frac{1}{4}$. Longa est itaque milliaribus Germanicis 22 $\frac{1}{2}$. seu Italicis 90. latitudo autem longitudini ferè par est.

TRACTVS DANVBIJ.

TABVLA I.



DAnubij tractum descripturi, censuimus optimè nos facturos si *Andreas Althameri* eiusdè fluuij enarrationè verissimã, doctam succinctamque, ita tamen vt nihil ferè scitu dignum prætereat ad verbum huc insereremus, quod ea nostro instituto maximè accommoda, magis dilucidè ac appositè haudquaquam tradi posset.

De eo itaque hæc sunt eius verba. Danubius qui & Ister Stephano de vrbibus *Matoas*, maximus Europæ flu. Græcis & Latinis celebratus, in ipsa oritur Germania, ad *Hercyniam sylvam*, qua parte pridem fuit Germaniæ *Rheticæ*que confinium ac limes, de cuius origine varij varia ac fabulosa prodiderunt. *Aristo. lib. 2. Meteor. cap. 5.* Ex *Pyreneo monte* effluere Istrum prodidit: quem secutus *Herodotus lib. 2.* qui *Euterpe* è *Pyrene ciuitate* labi memorat. *Plinius Hist. mundi cap. 12. lib. 4. 2.* è Germaniæ iugis, montis *Arnobæ* castigatiora exemplaria *Abnobæ* habent, ex aduerso *Teurici* seu *Raurici Gallie* oppidi profluere *Danubium* narrat. Cui *Ammianus Marcellinus lib. 22.* subscribit, & *Solinus Polyhistor. cap. 23.* Ister Germanicis iugis oritur, effusus monte qui *Teuricos* seu *Rauricos Gallie* spectat. *Cornelius Tacitus* eum locum *Arbonam*, seu vt quædam habent exemplaria, *Abnouam* vocat. Similiter *Martianus Capella. Strabo sub finem Libri 4.* iuxta *Sueuos* & *sylvam Hercyniam*, quem imitatus *Ausonius* poeta inquit.

Quæ gelidum fontem medijs effundo Sueuis.

Idem *Strabo lib. 7.* ab extremis Germaniæ partibus, ab occasu oriri refert, *Claudianus Rhetia*, *Raymundus Martianus* *Iranicum montem*, *Beatus Rhenanus Porcijs* in vocat tractu. Magna fuit diuersitas priscoru authoru, in tradendo *Danubij fonte*. Ego itaque certissima tradam, quæ me ad illius fontem natus *D. Mathæus Neserius I. V. doctor*, humanarum literarum eruditissimus, omnisque humanitatis specimen, per literas de Istri origine docuit, quæ partim ipse vidi, & quæ diligenti authorum lectione obseruaui. Tractus in quo caput tollit *Danubius*, accolis *Susuis*, *Alemannis* *Baronatus*, in *der Bar*, appellatur hodie, sub *dinastia* *generosorum comitum à Furstenbergo*, *Martiani nemoris* *accolarum*, quod *Hercynij saltus* caput, *nigram sylvam* vulgus vocat. *Ptolomæus lib. 2. cap. 11.* *Eremum Helueticorum*, fons eius modicus est in *vico Eschingen*, *Danubij Aeschingiæ* Latina forma dicere potes, ita vicinus *Rheni ripæ* vt vix duorum milliariu latitudo inter sit: terra ipsa vnde manat plana est, non montosa, velut multi eius loci ore ignari prodiderunt: nisi quod ipsum cæmeterium, sub quo est *scaturigo*, paulo est eleuatius. Egressus vicum patrium mox riuum se maiorem *Brygen Alemannis* dictum, excipit, deinde alterum eiusdem cum priore magnitudinis, die *Pregen*. Vtrosque à *Martiana sylvâ* labentes, à quibus forsitan nomen est regiucula, quæ *Græci Pyreneu* & *Pyrenem* dixerunt, recentiores, *Pericensem*. Vocabulū enim *Bar* non ablutit alabentibus subinde riuus, in iustæ magnitudinis amnem excrescit. Ab *Fauonio*, hoc est occidente *Euru* id est oriente versus primū lentus fluit. Germaniã veterem dirimit à *Rhetia superioris* parte versus meridem à *Rhetia prima* & à *secunda Vindelicia*, *Norico* ripersi, tū ab vtraque *Pannonia*, *Mæsia prima* & *secunda*, quæ omnes ad dexteram ripam adiacent. Parua ac ignobilia initio alluit oppida *Gysingen*, *Meringen* comitum à *Furstenbergo*. *Tutlingen* ducatus *Virtenbergensis*, *Simeringen* comitum à *VVerdenbergo*, *Scheram Buro*num & *dominorum à VValpurg*, *Sacri Romani Imperij dapiferorum*, *Riedlingen*, *Ptolomæus lib. 2. cap. 12.* *Taxagetium* in hoc tractu statuit, docti *Rotvilem* interpretantur. *Rhetia* vrbis est, *Helueticis confederatis* socia, & paululum ab *Danubio* distita: ad amoenissimum amnem *Nicrum*, quem *Neccarum* vulgò appellamus, *Albacus* amnis *Ostro* comitatus in hac ora *Danubium* ingreditur. Inde ad sinistram ripam est *Ehingum*, mox *Ulma* potens imperij ciuitas, quam à *Ptolomæo lib. 2. cap. 11.* putant *Alrimæni* nuncupatam: ad quam, *Ilerus* ac *Plauus* in *Danubium* excurrunt, nauigabilemque efficiunt. Tradunt authores *Danubium* sexaginta recipere amnes, & medio ferè numero eorum nauigabili. Horum primum puto *Ilerum* rapidum amnem è *Rhetia prima*, cuius hæc portio *Algoiua* dicitur, currentem. Inde alluit *Leyphynium*, vbi *Naham* & *Rotam* sorbet, & *Gunx-burgum*, vrbem, quæ à fluuiio qui illic in *Danubium* exit, inuenit nomen, à quo etiam *Vallis Guntiana* quæ elabitur, sumit appellatione. Hæc vrbè *Antonius Imperator* in suo itineralio *Guntia* videtur dicere, ad quæ erat trāsitus *Guntiensis*, vbi nūc pōs est. Infra hæc sita est in *Rhetia prima* vetus *arx*, cū oppido *Burgè*, quæ *Marchia* & *præfecturæ Burgouienſi* aliquando genuit *Marchionem*, quibus absq; heredibus extinctis, ipsa ditto ad principes *Austriæ* peruenit. In hac regione etiam *Mindula* & *Camilacus mediterranea* *Rhetia* amnes, vno alueo iuxta vicum *Olphingen*, *Danubium* augent. Paulo inferius accedit *Brentius* amnis, hic est *lympidissimus* ac *pisculentus*, in cuius ripa ad decem millia passuum ab

Danubij flumine & *Brentij ostro* cognominis vicus adiacet, in cuius editior parte arbitror fuisse aliquando *Romanorum presidium* contra *Alemannos*, quod posterior ætas & *Christiana religio* in sacrum vertit templum. Fuisse enim *Romanos* in ijs locis primum arguit lapis intrinsecus in muro insertus hac inscriptione. *IN DHH. APOLLINI GRANNO BAIENIVS VICTOR, ET BAIENIVS VICTOR ET BAIENIVS VICTORINVS FILII EIVS EX IVSV SIGNVM CVM BAS E.* deinde numismata, quæ inter aradum ab agricolis eruuntur, & quod ipsius templi structura, mirandam quandam vetustatem referat. Nam foris per muri gyrum sunt ad ducentos ferè lapides excisi, variarum imaginum, miri operis & ethnica antiquitatis indices. Sunt regu, reginaru, viroru, mulieru, centauroru effigies. Avium varia genera, aquila, pellicani, grues, ciconia, cygni, struthiones, auritæ propendulis & longè patentibus auribus. *Basilisci*, *galli*, *gallina* & alia mihi profus ignota animalia, *leones*, *tauri*, *cerui*, *canes venatici*, *apri*, *pardi*, *pathera*, *porci*, *simia*, *lepores*, *hirci*, *feles*, *asini*. Mōstra marina, *Syrenes*, *pisces*, *cæcri*, *aranea*, *testudines*. Præterea *labyrinthi*, *rosæ*, *lilia*, *flores*, & alia multa. Si orthodoxa fides tū fuisset huic populo prædicata, haud dubiè aliquid *Christiani operis*, de acminica passione aut *sacris Historijs* inscidissent: nunc cum nihil harum reru cernatur, conijcio ante plantatam ijs locis fidem, non *Germanos* sed *Romanos*, id ædificij struxisse, & populares mei ab paganis, ita *Ethnicos* appellant, extructum prædicat. *Arx*, quæ flumini imminet, posterius ædificata fuit. Hic mihi natale solum. Huic debeo initium vitæ. Regionem ipsam nunc *Sueui* tenent, quæ quondam fuit *Rhetorum*: pene enim vniuersam *Rhetiam* *Sueui* occupant. Ad eiusdem *Brentij ripam* iacet *Gundelſingiæ* oppidum *Palatinorum comitum*, & iuxta est *Achabrunnum cænobium*, vbi in *Danubium* egreditur *Brentius*. Hinc *Danubius* mœnia *Laugingiæ* allabitur, in qua vrbe natus fuit *Albertus Magnus philosophorum primus*. Cernuntur ibi multæ *Romanæ antiquitates*. Situ est amœno & in agro frumenti feracissimo. Pene ad ripam *Danubij* est *Dillingiæ*, *Augustis* antistitis sedes, infra quæ *Egueda* ac *Gleda* *Danubiu* intrant. Inde aliud oppidū alluit *Hochstadiū* dicitur, sub quo *Zusimus* amnis accedit. Hinc est *VVerdea* *Sueuica* vrbis imperialis, sic appellata, quod instar *Insulæ* inter *Bernicum* & *Danubium* posita sit: *Germani* namque eiusmodi loca *insulasque* inter amnes, sua lingua *VVerdas*, aliquando etiam *Angias* vocant. *Bernicus* hic vndas suas in *Istrum* emit tit: ad dextram ripam *Suntera* & *Egyptus* accurrunt. *Lycus* verò infra *VVerdeam* ad decem millia passus sub *Rhayno* oppido *Vindeliciæ*, quod *Georgij Tanstetter Collimicij* insignis *Mathematici* natiuitas nobilitauit, in *Danubium* incidit. In cuius opposito viculus est *semiditru* habens arcem, *Lechſigmūd*, *Ptolomæus* *Lycostoca* vocat, id est os *lyci*, nã *Germani* (quod propter antiquitatis studiosos refero) ea loca quæ ad riuorum aut fluminum exitus iacent, *Gmund* vocitant: id vocabulum nostrate lingua os vel ostium significat. Sic est *Vkeremund* in *Marchia*, vbi *Vkera* in *Oderam* exit. *Tangermund* in *Marchia* *Brandenburgensi*, *Trauamunda* *Holsatiæ*, *Varnamunda* *Mechelburgensis*, *Gemunda* *Francicæ*, vbi *Sala* in *Mœnum* transit. *Gemund* in *Cattis*, vbi *Fulda* in *Vrsurgim* effunditur, *Gemunda* *Sueuica*, vbi riuu egrediuntur in *Remisum*, *Nicri* *Gemunda*, vbi *Nicri* egressiones, *Abgmund*, vbi *Rota* in *Leynam* effluit, *Norica* *Gemund*, vbi *Trauna* è lacu exit, in quam vndas suas effuderit, sic est *Lechſgemund ostium* *Lyci*: nã omnes vrbes atque loca, quæ composita aut simplici voce *Gmund* vocantur, ad fluuiorum seu riuulorum ostia sita sunt, *Græci* in *Stoma* desinunt. Sic est *Lycostoma* & mox in *Danubij* ostijs *Naracostoma*, *Calostoma*, *Pseudostoma*, & iuxta *Strabonem lib. 7.* *Hicrostomum*. Ibi est *Sueuicæ* finis & *Boiariæ*, quæ *Græcis* & *Latinis* *Vindelicia* fuit dicta, initium *Neuburgum* *Palatinorum comitum*, primum occurrit *Danubio* descendentes, & post illud *Angostadium* *Boiariæ* principum, *literarum Gymnasio* celebratissimum, vbi *Suter* fluentem cadit in *Danubium*. Inferius *Parrhus* seu *Barius*, qui *Sumontorium*, hodie vicus atque templum est *sacrarum* *fæminarum*, *Hochenward* vulgò dicitur, præfluit, *Danubio* infertur, & *Thnus*, riuus à *Pfaffen* homo, descendens. Ibi iuxta *Danubium* sunt *Vocioburgum*, *Pferingum*, *Neostadium*, quod & *Salingo-stadū* abusua, vbi *Abſus* siue *Abis* fluuius in *Danubium* currit. Hæc vrbis nobis *virum sempiterna* dignum memoria peperit *D. Iohannem Auentinum*, qui multis annis summam operam *historiarum* studio, in primis illustrandæ *Germaniæ* impendit, veteres authores diligenter cõquisiuit, recentiores adhibuit, omnes studiose excussit, quasdã regiones maximè *Boiariã* suã perlustrauit. *Vetusta monumeta* inspexit, nec dubito si hunc *virum* diutius nobis *superi* permisissent, magnam nos *veteris Germaniæ* *auitarum rerum* & *venerandæ antiquitatis* lucem, hoc authore habituros, sed